

eando prudentissimus, in docendo facillimus, in jure interpretando peritissimus, in disputanda acerrimus, versatileque adeo ad omnia pariter ingenium habebat, ut ad id unum, quodcumque ageret, natus factusque videretur. Vitam domesticam quod concernit, in triplici vixit Conjugio, quorum primum duntaxat memorandum nobis est. Inverat illud cum virgine Prænobilissima, *Margaretha Schützia, Davidis Schützi, Ducis Mecl. Quæstoris & Capitanei Suanensis filia,* Anno 1655., sed solutum est Anno 1661. Quo ex Conjugio suscepit præter filias binas filium unicum, ut paterni nominis sic paternarum quoque Virtutum hæredem exactissimum, Virum hodie Illustrem ac Excellentissimum, *Dn. Henr. Rud. Redekerum, Sereniss. Ducis Mecl. Consiliarium Aulicum splendidissimum, hæreditarium Dominum in Bortrâmbs/ Scharsdorff/ &c.* Vitæ finis Redekero Nostro contigit 1680. 23. Dec. annum Æt. agenti 55., ob summa in Acad. & totam Provinciam Megap. merita Nestoreos vivere dies omninò dignissimo. Testabuntur id inter reliquias ejus sequentia, quæ mihi innotuere, edecumatae eruditionis scripta:

1. Examen Institutionum, Rost. - - 2. Diss. de Fidejussoribus, Præs. D. Joach. Schnobelio hab. Rost. 1648. 3. Diss. inaug. de Gratia, Argentorati 1654. 4. De Cursoribus publicis, Rost. 1662. inaug. Kochii. 5. De Quæstionibus & Tortura, 1680. inaug. Amselii. 6. De Jure cesso, 1676. inaug. Ferberi. 7. De Actu judiciali extremo 1672. plurimæque aliæ. Ineditos præterea B. Parentis sui Commentarios in Cod. & Pandectas à se asservari indicavit mihi Illustris Dn. Conciliar: Redekerus, Mœsas omni honoris cultu æternum mihi prosequendus.

CHRISTOPHORUS REDEKERUS,

Idem natale solum cum præcedente, Patruo quippe suo, agnovit. Osnabrugæ enim 1652. Patre *Gerb. Redekero*, matre *Anna von Un-* cum natus est. Prima ætas cum in Patria formata esset, Anno æt. 10. ab illustri *Dn. Henr. Rud. Redekero*, jam laudato, ad hanc Acad. vocatus filiique loco ab eo habitus, Scholæ Sen. Collegis commissus fuit. Anno 1668. Sedinum ablegatus est, ubi summa cum laude Præs. *L. Ammonio* de Ethicis principiis disputavit, 1670. Ad Patrum reversus ad studium juridicum ejusdem ex consilio animū adplicuit, in informatione usus fidelissima partim ipsius ejusdem, partim *D. Casp. Habermanni*. Sub quorum ductu tantum profecerat, ut magno cum fructu exterorum terras visitare potuerit, Adiit primò
Novio.